Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

669

dum in humilitate passionis christi omnes ce-
rimonie vetustatis excludunt. Pulverem eciam
in bethel tollit. dum reliquias spiritalis intelli-
gentie in ecclesiam transponit. Bethel enim domus
dei dicitur. per quam sancta ecclesia exprimitur. que fide et di-
lectione domus dei efficitur. Rex aruspices de-
let. cum christus veteris sacerdotii cultores aufert.
Quos posuerant reges iuda ad sacrificandum in
excelsis. quos fideles synagoge constituerant
in veteris testamenti septis. Per civitates iuda que
sunt legis munitiones. et in circuitu ierusalem.
in psalmis et prophetis. quibus ierusalem circumdatur. quibus
sancta ecclesia communitur. Rex eos delet qui incensum
baal adolent. quia christus eos consumit per eu-
angelii veritatem. qui ritum vetustatis in lege exercent.
Rex eos delet qui soli serviunt. dum christus eos dam-
nat. qui sabbatum carnaliter custodiunt. Delet
eos qui lune serviunt. quia christus eos dampnat.
qui neomeniam observant. Delet eos qui xii.
signis serviunt. quia dampnat eos. qui mensium sig-
na attendunt. Delet eos qui omni milicie
celi serviunt. quia dampnat eos. qui dierum mensium
et annorum observantiam gerunt. Rex lucum de
domo domini foras ierusalem in convalle cedron ef-
ferri facit. dum christus per sue passionis humilita-
tem veteris testamenti opacitatem scisso velo templi
expandit. sicque veteris testamenti tabernaculum extra
fines iudee in gentium latitudinem extendit.
Ibi lucum comburit. et in pulverem redigit. quia in
gentium ecclesia veteris testamenti litteram in spiritalis
intelligentie subtilitatem comminuit. Super se-
pulchra vulgi pulverem proicit. dum spiritalem
veteris testamenti intelligentiam gentibus indit et
sui cognitione emortuis transmittit. Ediculas
effeminatorum que in domo domini erant destruit. dum
carnales interpretationes carnalium sapientium
doctorum in veteri testamento evertit. Per quibus mulie-
res quasi domunculas luci texunt. quia per
carnali interpretatione phariseorum sancte ecclesie doc-
tores veteris ac novi testamenti ubique pollentes.

et ex eis lac vitalis doctrine fidelibus ingerentes.
subtiles expositionum suarum sententias quasi
luci domunculas artificio sancti spiritus intexunt.
Rex iosias omnes sacerdotes de civitatibus iuda con-
gregat. cum christus omnes novi testamenti doctores. mis-
so de celis spiritu sancto per apostolos ad se convocat. Civi-
tates iuda diversas ecclesias exprimunt. que unam
catholicam fidei societate et virtutis unitate effi-
ciunt. Excelsa contaminat. ubi sacerdotes sacri-
ficabant. dum veteris testamenti litteram spiritaliter com-
mutat. in qua veteris sacerdotii cultores per carnales
cerimonias se placere estimabant. De gabaa
que sublimis dicitur. per quam lex intelligitur. usque ber-
sabee que puteus septimus interpretatur. per quam
novum testamentum figuratur. quod septiformi sancti spiritus gratia
mundatur. Aras portarum destruit. dum cultus sa-
crificiorum legalium evertit. in quibus celestium mysteriorum
umbra delitescit. In introitu ostii iosue principis
civitatis. quod erat ad sinistram porte civitatis. In-
troitus ostii est predicatio evangelii. quo in ecclesiam in-
tratur. quia predicatione evangelii ecclesia initiatur. Iosue
salvator dicitur. per quem christus intelligitur. qui princeps
civitatis memoratur. quia christus ecclesie sue et in presenti
et in futuro principatur. Ostium iosue ad sinistram
porte civitatis collocatur. quia predicatio evangelii
gentium populo deputatur. qui per sinistram figuratur. Sa-
cerdotes excelsorum ad altare domini in ierusalem non ascen-
dunt. quia doctores veteris testamenti mysteria christi
in fide et societate sancte ecclesie non apprehendunt.
Tantum azima in medio fratrum suorum comedunt. quia
tantum veteris pasche ritum in medio gentium ex-
colunt. quorum fratres quandoque per fidei catholice
societatem erunt. Iosias topheth contaminat. quod
protectionem oris vel gehennam sonat. dum christus per
figurationes legis spiritaliter condempnat. que eos
protegunt. dum ipsum qui est verbum patris tacite in-
nuunt. que gehennam carnaliter se intelligentibus
et observantibus succendunt. Topheth in con-
valle filii ennon esse scribitur. quod ecce hec sive sit
dicitur. quia veteris testamenti littera. dum aliud in superficie